21.

ig.

Q. D. T. O. M. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHYSICO-MEDICA,

DE

MAGIA NATURALI, EJUSQVE USU MEDICO AD MAGICE ET MAGICA CURANDUM,

Quam

INDULTU ILLUSTRIS AC GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

IN ALMA ET PERANTIQUA ELECTORALI HIERANA

PRO

LICENTIA

Summos in Arte Medica HONORES & PRIVILEGIA DOCTORALIA ritè impetrandi,

Publico Eruditorum Examini exponit

JOHANNES NICOLAUS MARTIUS, Erffurtensis,

Die 21. Maji, Anno M. DCC.

In Auditorio Majore Collegij Majoris, Horis consvetis.

ERFORDIÆ,

Excudebat JOH. HENR. Grosch/ Acad. Typogr.

4



PROOEMIUM.

MIraberis forsan, C.L., me, cum aliquod Medicæ Doctrinæ Specimen exhibendum erat, odiosam hanc atque invisam materiam selegisse, nemini fermè non suspectam: Ast si mecum reputaveris, non leve esse vitium, cum quis benevolentia magis ac dextrô lectoris judiciô captandô, quam evolvendâ veritate utilitateque respicienda ductus, aliquid in lucem emittit, mirari desines, curiosum hoc æque ac utile argumentum me pertractasse, præsertim cum id in perantiqua nostra Universitate nunquam adhuc, quantum equidem scio, publicè excussum sit atque defensum. Insons MAGIÆ nomen valdè quidem, licet immeritò, esse suspectum optimè scio, ast ob rei abusum artis usum non tollendum judico. Parum præterea laudis & assensus lucraturam hancce Dissertationem apud plerosque facilè prævidere potui, eos præsertim, quorum ingenium varijs occupatum præjudiciis nil rectum putat, nisi quod con-

ceptis nonnullis illorum ideis & incertis Praeceptorum opinionibus conveniat: Quod & parum curo. Is enim seculi nostri genius est, ut, quam quis sibi finxerit hypothesin, accuratissimam credendorum & agendorum normam esse sibi persvadeat, juxta quam & omnia examinanda, & quae eidem non adeò conformia, statim rejicienda existimet. Verum quantum hoc modo animus praepediatur, quo minus veritatis tramitem invenire ac calcare possit, experientia abundè testatur. Ideoq; sinistra malevolorum judicia mitto, probè gnarus, non omnia omnibus probari posse, neminemque, quamvis maximo nisu veritatem prosequatur, omni ex parte in hac re esse aut fore beatum. Vale tu ergo, C. L. & si tibi placeant haec pagella, DEO summo summae sapientiae conditori omne bonum acceptum referas, humanae verò imperfectioni immixtos adscribas errores velim; sin minus, easdem vel cremare meâ quidem pace licebit. Vale!

CAPUT I.

De MAGIA IN GENERE EJUSQVE SPECIEBUS.

§. I.

MAgia ἀπὸ τȣ͂ μάγȣ dicta, hujus significationem sequitur. Μάγος vocabulum μέσον esse & tam in bonam, quam in malam partem sumi, ipse sacer codex docet. *Matthaeus* enim *Cap. II.* ter *Magorum* mentionem

facit tanquam Virorum venerabilium & instinctu Divino in sanctam terram ductorum: Contra ea *Lucas in Apostolorum actis Cap. VIII, 9. 11.* refert impietatem *Simonis*, qui Samariæ μαγεύων permultos ταῖς μαγείαις deceperit, & *C. XIII, 8.* narrat pertinaciam *Elimæ* τοῦ μάγου, quanquam hoc loco appositum vocabulum τὸ μεθερμηνεύεται simplicem unius lingvæ interpretationem per aliam designare, & ὁ μάγος *scientem* indicare videtur. *Elim* enim apud Arabes *scientem* notare observavit *Ludovicus de Dieu.* In Danielis vaticinijs, quoties nomen אשפים occurrit, septuaginta interpretes id constanter per μάγους exposuere. Significat autem אשף, uti Eduardus Leigh ex Spanhemio notat, *ex afflatu aliquid cognoscentem, vel sidera crepusculi tempore observantem, quandoque Philosophum in genere, quandoque Astrologum vel Medicum in specie.* Plurimi Critici vocabulum μάγος Persicum origine esse, *sapientemque* significare, cum *Platone, Strabone, Herodoto aliisque* affirmant. Hinc *Suidas*: μάγοι, inquit, παρὰ πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι. *Magi apud Persas sapientes fuerunt Deumque amantes.* De voce μαγεία, naturam primitivi sui sequente, idem sentiendum. Id enim μέσον esse, testatur *Hesychius* dicens: Μάγον τὸν ἀπατεῶνα φαρμακευτὴν· τὸν θεοσεβῆ καὶ θεολόγον καὶ ἱερέα οἱ πέρσαι οὕτως λέγουσι. *Magum dolosum veneficum: Persæ autem pium, Theologum & Sacerdotem ita appellârunt.*

§. 2. Ex jam dictis patet *Magum* sanô sensu olim significâsse *hominem divinarum & naturalium peritum*, qui *Physicis & Mathematicis scitè conjunctis stupenda edere miracula, divinas virtutes per otium contemplari, aliosque iisdem mysteriis initiare potuerit.* Cum autem à rectis studiis, præsertim physicis & mathematicis, proclivis sit ad curiosi-

curiositatem lapsus, Magi nonnulli infames esse cœperunt, dediti nimirum diabolicis divinationibus, incantationibus maleficis ac in mirabilibus effectibus producendis Satanæ consiliis opeque adjuti, omissâ sedulâ naturæ inquisitione. Hinc factum, ut & *Magia* in malam partem sit sumta, denotans *veneficiorum scientiam*, cum alioquin laude suâ non careret τὴν τῶν θεῶν θεραπείαν. i. e. *Deorum medelam*, Platone fatente, tradens.

§. 3. Communis quidem, at culpandus hominum mos est, ut ob rei abusum, statim & usum damnent. Id ubi seduli naturæ scrutatores & *Magiæ* contigisse viderunt, verum à falsô, utile ac necessarium à curiosô secernere studentes, *illam* diviserunt in *naturalem, artificialem seu mathematicam & diabolicam*. *Naturalem Magiam*, de qua in subsequentibus capitibus prolixius sumus acturi, silentiô hic præterimus, in hoc capite quænam sit *artificialis*, quæ verò *diabolica* tantùm explicantes.

§. 4. *Magia artificialis seu mathematica* sagacissima naturæ æmula sine naturalibus virtutibus, solis disciplinis mathematicis nixa, stupenda naturæ operibus simillima producit. Hanc qui exercere cupit, acutissimô ingeniô & excellenti judiciô præditus, solidâque physices & matheseos scientiâ instructus esse debet, si quid admiratione dignum in hoc genere præstare velit. Non satis mirari possum Majores nostros, qui ope hujus Magiæ tanta perpetrârunt, quanta vel aspicere solum posteri vix sunt ausi. *Archimedes & Laurentius Florentinus* sphæras motu proprio præditas fabricârunt. Confecit *Drebbelius* globum vitreum, in quo se totum creationis opus aperuit. *Archita Tarentini* columbam ligneam volantem, *Alberti Magni* caput ligneum loquens, & columnam *Boëthij Ravennensis*

sis sese ab oriente versus occidentem cum Sole vertentem quis est, qui nesciat? Notatu sanè digna aquila illa lignea *Regiomontani*, quæ Imperatori Maximiliano, cum Noribergam veniret, obviam facta, lentò eum volatu in urbem comitata est; ut & musca ejus ferrea, quam si è manu emitteret, in hypocausto circumvolitabat, tandèmque ad locum suum revertebatur. Quis sine admiratione adspexit *Stevini* currum ventosum, quo duarum horarum spatio septendecim milliaria profectus est? Hùc spectat ars aëronautica, cujus nullum specimen curiosis adhuc est exhibitum, num vero inposterum tale quid sit sperandum, dubito. Ex *Euclidis* quidem principiis demonstrari vix poterit. De hac Magiæ specie cui plura legere animus est, evolvat *Casp. Schotti Cursum Mathematicum Lib. XXIIX. Bamberg. 1677. fol. Ejusdem Magiam Naturalem Herbipol. 1657. 4to. Ejusdem Magiam Universalem Naturæ & Artis Bamberg. 1662. 4to. Guericke Experimenta Magdeburgica Amstelod. 1672. fol. Clavem Machinarum Anonymi, Watsonii Unionem Sapientiarum &c. Heinr. Corn. Agrippæ* judicium de hac Magià *vide in ejus Tr. de Vanitate Scientiarum Cap. XLIII. p. m. 166.*

§. 5. *Diabolica Magia*, humano generi maximè noxia, cognitio est mirandos damnososque effectus producendi, directos in perniciem propriæ animæ proximique corporis. Semper hæc pactum cum Satana supponit, sive *explicitum* illud sit, sive *implicitum*. *Explicitè* venefici & lamiæ tenentur; *implicitè* irretiuntur illi, qui vanis superstitionibus, ceremonijs, verbis, characteribus &c. fidentes ex justo DEI judicio & permissu optatum effectum consequuntur horrendâ ope diaboli, qui data quâcunque occasione fidem superstitionibus suis facere studet. Effectus

hujus Magiæ *ratione causarum* sunt diversi. *Alii* absque ullo Dæmonum concursu ex meris causis naturalibus dependent, & ad naturalem Magiam referendi essent, si ex diligenti virtutum naturalium scrutatione, non vero ex informatione & schola Satanæ provenirent. Hujus generis sunt pediculorum, murium aliarumque animalculorum productio, viri potentiæ ligatio, morborum sanatio, eorumque in alios translatio, poculorum amatoriorum paratio, &c. In *aliis* ad causas naturales insufficientes accedit opera Dæmonum, ut actio mixta exinde oriatur, v. g. Tempestatum turbatio [das Wettermachen/] præstigiæ sive occœcatio [die Verblendung] &c. *Alia* denique sine ulla concurrente virtute corporum naturalium per solos impuros spiritus ad satisfaciendum desiderio & petitis sagarum perficitur. Huc spectat iter ad sagarum comitia, (das fahren der Hexen nach dem Blockelsberge/) oculorum privatio, (das Augen ausschlagen/) &c. Ea vero est Satanæ astutia in perficienda hâc ultimâ Magiæ diabolicæ specie, ut semper lamiis aliquam operationem præcipiat, iisque persvadeat, effectum non á semet solo, sed ab operatione docta inprimis proficisci.

§. 6. Quantum commodum piis ac probis Medicis (reliquorum, qui ob divini timoris defectum ad superstitionem impiarumque rerum imitationem seduci facile possunt, animabus valde noxia erit,) effectuum Magiæ diabolicæ cognitio in cognoscendis & curandis morbis ex fascino afferat, infra Cap. V. docebo. Exercitium autem omne prorsus interdictum lege non solum divina, sed etiam Jure Civili. *Lege* enim *Cornelia* venefici capite damnantur, qui artibus odiosis tam venenis, quam susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice

vendide-

vendiderint. Vid. *tit. Inst. de pub. l. judic.* §. 5. Et l. 4 & 6. *Cod. de Malefic. & Mathemat.* illi puniendi, imo ferali peste absumendi, (igne cremandi) censentur, qui magicis accincti artibus aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse, aut elementa turbasse, vitamque insontium labefactasse deteguntur. Quæ leges & pœnæ num se & ad naturalem Magiam in perniciem hominum applicatam extendant, JCtis judicandum relinquo. Interim non video, cur *Celeb. Bæckelmann in Compend. Instit. Imp. Justin.* circa finem opinetur, Constantinum aliquid Christianô Cæsare indignum fecisse, quod *c. l. 4.* Magiæ naturali patrocinetur prohibens, ne ullis criminationibus implicentur remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia &c. Cæterum hâc occasione excusandus mihi venit *Heinricus Cornelius Agrippa à Nettesheim*, cujus summam eruditionem cum vera pietate conjunctam non satis mirari possum in pulcherrimo ejus Tractatu *de Vanitate Scientiarum.* Refertur autem inter veneficos ac magicos doctores à *D. D. Pfitzero* in eruditione præclara plenis ejus animadversionibus ad *vitam D. Fausti p. 15. & 172.* partim ob librum de *Occulta Philosophia*, partim ob anilem quandam fabulam de cane ejus *Monsieur* dicto. Ad librum dictum quod attinet, tractat in eo occultam Philosophiam, non ex propria, sed veterum Magorum mente, unde non potuerunt non permulta mala bonis misceri, præsertim cum illam non mutilam & mancam, sed uti à majoribus tradita erat, omnibus partibus absolutam edere vellet. Eâdem fere methodo usus *Marsilius Ficinus Florentinus* in commentariis in Plotinum de *Vita cœlitus comparanda* inscriptis, ideo tamen non statim Veneficis annumeratur. Et ipse quidem

dem *Corn. Agrippa* vanam juventutis curiositatem dolet, quæ ipsum ad conscribendam occultam Philosophiam seduxit. Digna sunt ejus verba, quæ ex *Tr. de Vanitate Scientiarum Cap. XLVIII. p. m. 189.* hûc ponantur: *De magicis,* inquit, *scripsi ego juvenis adhuc libros tres, amplô satis volumine, quos de occultâ Philosophia nuncupavi, in quibus quicquid tunc per curiosam adolescentiam erratum est, nunc cautior hâc palinodiâ recantatum volo; permultum enim temporis & rerum in his vanitatibus olim contrivi. Tandem hoc profeci, quod sciam, quem iis rationibus oporteat alios ab hac pernicie dehortari.* Hæc ille. Anilis verò ista fabula me non movet, novi enim mundi genium, qui ejusmodi mendaciorum multa millia unâ horâ adversus veritatis cupidos veramque sectantes pietatem fingere sine ullâ operâ valet. Cæterum de hujus Viri pietate abundè testatur *cit. lib. de Vanitate Scientiarum*, præfatio præsertim, ubi inter alia dicit: *Habeo, quo me tuear, verbum DEI, quod ego his pro clypeô scutôque intrepidus opponam. Et si oporteat, qui pro illo lubens tantos in me concitavi hostes, libens etiam occumbam, priusquam deseram.* Eâdem fermè ratione est defendendus Polyhistor ille Anglus *Robertus Fludd à Fluctibus*, aliique pij ac seduli Naturæ scrutatores.

§. 7. Sed quid de *Cabbalâ*, *Geomantiâ*, *Necromantiâ*, *Theurgiâ* &c. statuendum? Cuinam illæ annumerandæ sunt *Magiæ* speciei? *Cabbala* in sensu latiori sumpta & Judæis dicta de *Breschith*, rerum creaturum, naturalium & cœlestium vires explicat, sacrique codicis arcana Philosophicis rationibus exponit, ideòq; à Magia naturali parum aut nihil differt. Hanc secuti sunt *Moyses Ægyptius* in explicationibus suis super Pentatevchum & plures *Thalmudistæ*. *Cabbala* autem de *Marcana*, in sensu strictiori sumta, Theologia

logia quasi symbolica est, quæ ex literis, accentibus, numeris, nominibus, figuris &c. profunda mysteria & arcana ostendere creditur. Equidem sub literis & numeris aliquid latere, inficias ire nolo. Peritum lingvarum orientalium opificem nuper offendi, qui mihi literarum originem & fundamentum confusionis lingvarum tam clarè ostendit, ut ejus acutissimum judicium non satis mirari potuerim. Verum quoniam in Cabbalistarum libris perplurima vana sunt atque futilia, alijs hanc scientiam examinandam relinquo. Literis & Characteribus num aliqua vis in corpora naturalia agendi insit, infra *Cap. III.* videbimus. De *Geomantia* prolixa traditur doctrina, quam tamen, quia nullis firmis fundamentis naturalibus nititur, silentiô præterire lubet. De *Necromantia* & *Theurgia* quid statuendum sit, quivis facile videt. Qui *Magia diabolica* & sagarum historias, operationes, examina & pœnas scire cupit, evolvat sequentes Autores; *Mart. Del Rio Disquisitiones Magicam. Joh. Georg.* Gödelmanns *Tract. de Magis, Veneficis & Lamiis. Joh. Bodini Tr. de Magorum Dæmonomania. Paul. Chirland. Tr. de Sortilegiis. Lamberti Danai Tr. de Sortiariis. Remigij Dæmonolatriam. Daniel. Fabr.* Die Höllische Zauberin. *Circe. Lips. 1699. 8. Pfitzeri* Aergerliches Leben und schreckliches Ende *Fausti. Norib. 1695. 8.* *Cabbalam*, quam admirationi excitandæ, non veritati inquirendæ inservire *Morhoffius* judicat in *Lib. II. c. 7.* tractarunt *Liber Sohar*, *Autore R. Simeon Ben Joachai. Joh. Reuchlini Opus de Cabbalâ seu Symbolicâ receptione & verbô mirificô Francof. 1672. fol. recusum. Joh. de Laneschoff Tract. de Arcana numerorum Magia, quam Algebra & Cabbala profitentur. H. Corn. Agrippa Occulta Philosophia. &c Liber de Cabbala, qui Sultzbachij prodiit. 1648. fol. Geo-*

 mantiam

mantiam tradunt *Tabula nova Geomantica ex MSS. de ann. 1535. 8. Francof. à Zunnero edita. 1692. ut & Rob. Fludd à Fluctibus Liber de Geomantia, qui Opp. in Anglia in fol. excusis insertus est.* De *Necromantia & Theurgiâ* vid. *MSS. Anonymi Arbatel dictum, Francisci Mancaji Disquisitionem de Magiâ Divinatrice & Operatrice Francof. 1683.* & *Casp. Peuceri Commentarium de præcipuis generibus Divinationum. 8. Witteb. 1572.* Plerique autem allegatorum librorum optimô adhibitô judiciô legendi, ne probanda rejiciantur & rejicienda probentur, sed optima quæque seligantur.

CAPUT II.

DE MAGIA NATURALI IN SPECIE, ET DE EJUSDEM PRINCIPIIS.

§. I.

PRopius nunc ad scopum accedamus, & tertiam *Magiæ* speciem, *naturalem* scilicet accuratius examinemus. Hæc nil aliud est, quam *occultior ista veterum sapientum naturalis Philosophia*, per quam tanta miracula fecere, ut horum ignaros in admirationem rapuerint. *Marsilius Ficinus*, qui cum omnibus fermè Magis astrorum influxum agnoscit, hanc *Magiam* ita definit: *Naturalis Magia est, quæ rebus naturalibus ad prosperam corporum valetudinem cœlestium beneficia captat.* Vel: *quæ naturales materias opportunè causis subjicit naturalibus mirâ quadam ratione formandas.*

§. 2. Ratione finis *Magia naturalis* vel *licita est*, vel *illicita*: Illa vel *curiosa* vel *necessaria*. *Curiosa Magia* quamvis ad hominum salutem non immediate conferat, excitat tamen animos ad laudandum Numen Divinum per

mirandas

mirandas corporum naturalium virtutes. *Hofferus in Herc. cul. Med. p. 110.* refert, ex herba Basilico scorpiones parari posse, illis qui ex Italia afferuntur simillimos. Modus parandi hic est: ℞. Basilici mense Julio vel Augusto q.v., contunde ac si succum exprimere velis. Massam contusam tegulæ ita calefactæ, ut tactum non admittat, illine crassitudine trium digitorum, superadde dein similem tegulam, & ambas muni lutô ex stercore equinô & argillâ paratô. Tegulas sic conjunctas per mensem in cellâ relinquito, si postea aperueris, scorpiones inde prosilientes invenies. Huc spectat productio formarum *Borelli Obs. Physico-Med. Cent. IV. Obs. 62.* & modus ex unô vel alterô cancrô in cinerato permultos viventes cancros iterum producendi, (*Vid. lib. cit. Cent. IV. Obs. 34.*) ut & lampas vitæ *Burggravii*, certissimus sanitatis morborumque index, cujus clariorem descriptionem vide in *Beguini Tyroc. Chym. L. III. c. 1. §. 2.* *Necessaria* commodum & salutem humani generis solum & immediatè intendit. Huc referendæ sunt omnes curationes magicæ & magneticæ, philtra benigna & vera in bonum finem destinata, ut & sympathetica virgulæ Mercurialis præparatio ad certum quoddam metallum tangendum, cujus mentionem facit *Matth. Willen de Virg. Mercur.* *Magia illicita* est, quæ dirigitur in damnum proximi, ejusque corpori nocet per media naturalia. Hinc Magi sincerâ charitate erga proximum destituti, possunt e. g. omnes pullos ovis adhuc inclusos in domo quadam necare, equos claudicantes reddere, viri potentiam veneream ligare, homines in varios morbos & horrenda symptomata præcipitare, febrim scilicet, Ischuriam, atrophiam, ingentes dolores, Dysenteriam, deliria, insanum amorem &c. fascinationes in sagas ignotas remittere, illas gra-

 visimis

vissimis affligere doloribus, ad patientes à se fascinitas accersere &c. Motus autem hæcce perpetrandi, quamvis mihi notus sit, silentiô tamen eum præterire lubet, ne impiis proximô nocendi ansam præbeam, atq; alterius peccatorum participem me reddam. Non enim Medici officium est corpus humanum morbis implicare & destruere, sed potius aut servare aut reddere sanum favente gratiâ Divinâ.

§. 3. Quoniam autem in explicandis *Magiæ naturalis* effectibus evolvendisque causis Physicus ac Medicus rationalis ad occultas qualitates confugere erubescit; rei autem veritas, obstante manifestâ experientiâ, absolutè negari nequeat; firma quærenda sunt fundamenta solidaque principia, ex quibus veræ actionum causæ deduci possint. Equidem inficias ire nolo, non omnium rerum manifestas causas dari posse; interim tamen & hoc fatendum, in permultis actionibus & curationibus, magicis præsertim & sympatheticis, rem vel per solam mechanicam sat clare demonstrari. Inde & ego, sepositâ ad tempus spirituum doctrina, magno isto Cartesianorum lapide offensionis, *actionem, indistans* Physicis dictam, quæ omnino supponenda hic erat, per solum mechanismum ad mentem *Illustriss. Comitis de Dygbi* explicabo, ut liquido constet, magnetismum non nudis niti superstitionibus, uti nonnulli mechanici Philosophi credidere. De *spiritu mundi* quædam præmittenda fuissent; verum quoniam materia spinosa nimis ac odiosa, lectori veritatis cupido commendo elegantissimum libellum *Excell. Thomasij* inscriptum: **Versuch von dem Wesen des Geistes.** in 8vo Halæ 1699. impressum.

§. 4. Septem præcipua fundamenta sunt, quibus *actio indistans* tota innititur. Primum nemo inficiabitur, omnia

omnia in toto terrarum orbe lumine esse repleta: Hoc à Sole præcipuè ortum ducens, radios suos undique fundit, qui si in motu suo ac effluxu ab objecto quodam impediantur, quo minus libere transire queant, ad angulos collaterales se inflectunt, aliamque quærunt viam per lineam rectam, donec iterum impediti, & per varios tortuososque anfractus reflexi & debilitati evanescant. Motus pilæ propulsæ rem pulchrè illustrat. Qui plura de effluxu & reflexione radiorum legere cupit, consulat libros Mathematicorum Opticam tradentes.

§. 5. Isti radij luminis, qui vel solam corporis superficiem tangunt, semper particulas seu atomos nonullas, quando reflectuntur secum auferunt, eâdem ferme ratione, quâ pila parieti nigræ aut humidæ allisa nigris aut humidis particulis conspurcatur. Lumen enim ceu velocissimus æther non potest non objecta attingere, attacta arrodere, arrosasque particulas secum abducere: quod experientia comprobat. Quando pannus humidus igni applicatur, observantur inter pannum & ignem nebulosæ particulæ. Notus quoque vapor à sole è terra sublatus, in regionibus præsertim saltuosis & montanis. Hinc nonnulli existimarunt ventum nil esse, nisi fluxum atomorum de terra elevatorum ac hûc illûcque propulsorum, inde & ventos diversum spirare odorem pro diversitate locorum, ubi orti, remque per Æolipilam demonstrare sunt conati. Ast lectu dignum est de hac sententia judicium *Exc. Thomasij* in libro supra allegato *p. 100. 101.*

§. 6. Aër quantus quantus, atmosphæricus præcipuè, qui nostra corpora ambit, ejusmodi atomis arrosis plenus est, id quod varia probant experimenta. Viperæ vitro inclusæ maximum ex solô aere capiunt incrementum. Vi-

triolum,

triolum, nitrum aliaque se augent per solum aeris affluxum. Notatu dignum, quod recenset Illustr. Dygbi de Ol. ♀ri, quod in vere rosis efflorescentibus paratum, fragrantissimum rosarum odorem imitatum est, quem postmodum semper annô vertente repetiit. Aer Londini ab atomis carbonum fossilium ita conspurcatur, ut non solum lintea & stannum citò maculet, sed & ob sal acidum ad phthisin facilè disponat. Quæ de frigidis lunæ radiis, item de congelatione aquæ per lunam, &c. referuntur, ob instrumentorum defectum nondum tentare mihi licuit.

§. 7. Omnia corpora naturalia, quamvis non ex infinitis particulis constent, *infinitè* tamen *sunt divisibilia*. Hoc assertum primo intuitu paradoxon videtur, verum si formalem rationem magnitudinis consideras, nullum absurdum deprehendes. Magnitudo enim sine divisibilitate concipi nequit, nec ex indivisibilibus ullum quantum componi potest. Experientia rem illustrabit. Auri unc. j. in multas myriades particularum dividi potest, quod in confectione filorum & lamellarum aurearum abunde patet. Canes Anglici (die Englischen Docken) non solum hominem, qui ante aliquot horas præterierat, observare, sed & in lapidum acervo eum lapidem prehendere possunt, quem homo manu attigerat. Corium perfumatum Hispanicum, ut & unicus Ambræ scrupulus centum fermè annos odorem spargit, quem non possemus persentire, nisi continuò minima avolarent corpuscula. Corvos per 200. vel 300. milliaria cadaverum odorem esse secutos, memoriæ proditum est.

§. 8. Istæ autem subtilissimæ atomi, quæ à corporibus sejunctæ in aërem avolarunt, sæpe per aliam viam, quam à causis communibus duci debebant, attrahuntur.

Attractio

Attractio quidem à Cartesianis rejicitur, illam tamen inter rerum natura observari, demonstratur vel ex sola corporum unione, quæ sine attractione concipi nequit. Motus enim propulsivus si à centro versus peripheriam tendit, corpus in plura dividit, ut in vitris sclopeticis (den Glas-Tropfen oder vexier Gläsern) patet; sin vero à peripheria ad centrum, plura quidem comprimuntur, compressio autem corporum à verâ unione longe differt, uti sensus communis & experientia testantur. De motu attractivo plura invenies in *libro supra cit. Excell. Thomasij*. Fit autem attractio vel per suctionem, quam infantum lactatio & pot^s attractio per siphonem (den Heber) è dolio evincunt; vel per particularum similitudinem; vel per ignem, qui aërem ambientem cum atomis attrahit. Ignis enim semper calidas particulas ad peripheriam demittit, quæ quando redire conantur, aërem ambientem humidiorem secum ducunt. Huic fundamento innititur experimentum Hippocratis ad corrigendum aërem contagiosum. Ideo etiam panis recens coctus dolioque applicatus odorem mucidum attrahit.

§. 9. Particulæ si offendant in aëre atomos sibi similes, se cum iis uniunt, illasque facilius, quam particulas diversæ naturæ ad centrum suum deducunt. Simili enim simile gaudet. Omnis autem similitudo consistit (α) in æquali pondere, quod in globulo mundano conspicuum fit (β) in conveniente crassitie, hinc plura dantur corpora fluida, quorum neutrum cum altero intimè misceri potest; (γ) in eadem figura, quodlibet enim corpus propriam suam habet figuram, uti ex diversis salibus id clarè demonstratur. Sal commune est octangulare, (hat acht Ecken in die Vierung/) nitrum sexangulare, (sechseckig in

in Stangen/) sal ammoniacum in sex cuspides fastigiatum, (laufft in 6. Ecken aus/wie der Schnee/) sal urinæ quinquangulare. A dictis hisce similitudinis speciebus varia dependent phænomena & experimenta. Artifices ad conglutinanda fracta vasa semper glutini limaturam ejusdem materiæ immiscere solent, ex qua vas factum. Manum combustam, si igni applicetur, facilius curari in vulgus notum. Mappa succo mororum maculata facilius purgatur eo tempore, quo mora florent. Referunt historiæ Medicæ, duas fœminas nævis laborasse maternis, quarum altera collo impressam habuisset figuram mori, fragorum altera, ambæque varia sensissent incommoda maturescentibus fragis morisque. Si ☿ um ♁ ij halluce aut digito tangas, annulus aureus in ore aut brachio opposito totus ☿ rio obducetur. Notatu quoque dignum venenum à Tarantulis communicatum, quod majores dolores majusque periculum efficit redeunte tempore vulnerationis. De naso artificiali historia ex *Helmontio* notissima. Notandum autem particulas exhalantes, quamvis varia offendant corpora, vires tamen suas inde non amittere, sed retinere, donec symbolicum corpus inveniant. Plura vide in *Borelli Append. ad tert. Observ. Centur.*

§. 10. Denique atomi simul abripiunt id, quod conjunctum erat particulis, quas secum deducunt. Hic curationum magicarum & magneticarum totum fundamentum situm. Effluvia enim patientum, quando offendunt particulas ejusdem individui, easdem secum ad centrum suum rapiunt. Quod si istis particulis aliæ salubres sint annexæ, corpori patientis sunt emolumento; sin verò noxiæ, damnum inde patiens persentire solet. Certa autem activitatis sphæra requiritur ad actiones magicas & magne-

ticas perficiendas, quæ ex agentis virtute ac robore metienda. Quò fortior corpusculorum motus, eò longius illorum vis atque efficacia sese extendere potest. Vides ergo, *actionem indistans* per leges etiam mechanicas quodammodo explicari posse, ut itaque Cartesiani non necesse habeant, omnes actiones curationesque magicas, quæ magna ex parte hôc fundamentô nituntur, ceu meras superstitiones rejicere.

§. II. In superioribus paragraphis de motu corpusculorum, effluviorum, particularum, atomorum &c. frequentem feci mentionem. Hinc merito quis objiciet, me multa quidem de *motu* locutum, *movens* autem esse oblitum; nullam enim materiam propriô gaudere motu. Ast ille sciat, me hic per corpuscula, atomos, particulas certâ formâ præditas, non intelligere meram materiam uti Cartesiani, sed *compositum seu mixtum ex materia & spiritu*, ex quibus duobus principiis omnia corpora naturalia constant. Materiam seu substantiam corpoream motu proprio non gaudere, vel ex sola ejus *essentia* probari potest; quæ in extenso consistit. Extensum autem esse, passionem indicat; extendens enim supponitur, quia nil aut à semetipso patitur, aut in se ipsum immediate agit. Contra ea spiritus existentiam & præsentiam in omnibus corporibus naturalibus evincunt (α) Tò *esse* materiæ, quæ, ut merè passiva, ita per se subsistere nequit, (β) materiæ *essentia*, quam ipsi Cartesiani in extenso quærunt: extensum autem esse sine extendente non concipi potest, sive extensio intrinseca sit, sive extrinseca; (γ) *Forma* corporum, quæ nobilior esse debet materia, (δ) *virtus movens*, quam substantia quædam sit necesse est; si enim inter accidentia referre vellem, accidens nobilius foret substantiâ, quod

 absurdum:

absurdum: (5) *motio*, quæ fieri non posset, si omnia materia essent repleta. Motus enim materiæ spatium requirit, spatium autem non est vacuum. Ergo necessario spirituali essentia plenum erit. Quoniam omnia hæce experimentis & pluribus rationibus ob angustos terminos, quibus dissertationem hanc includere cogor, ulterius illustrare nequeo, vide sis supra citatum librum *Excell. Thomasij*. Recte igitur nonnulli Physici ac Medici subtilissima corpuscula ob summam activitatem *spiritus materiales* vocant.

§. 12. *In horum* itaque *spirituum consymbolismo & harmonia* totum naturalis Magiæ fundamentum positum est. Quando enim spiritus, qui velocissimam motionem ubivis moliri possunt, arte ad certum terminum diriguntur, ibi virtutem suam exercere ac stupendos effectus producere valent. Actio autem dirigens rarissime *animalis*, sed semper ferme *naturalis* est, quæ igitur instituenda imprimendo rebus *terminum & modum* magicæ operationis. Hæc duo probe tenenda, cum magnum momentum in iis lateat. Semper respectus est habendus ad *terminum sive harmonicum objectum*, quod specificos spiritus recipere, novisque donatos viribus remittere posit. Nec negligendus *modus* operationis, qui, nisi intentioni Magi respondeat, effectum voto contrarium producet. Exempla rem illustratura vide infra *Cap. IV. & V.* ut & in *Chirurgia parva Joh. Agricola p. m. 566. & seqq.* Cæterum non dubitandum, spiritus hominis potentiam habere extra corpus suum divagandi, seque cum aliis rebus conjungendi. In sagis minimum res manifesta, per fascinatas enim res fascinationes in lamias retorqueri, & hæ gravissimis affligi possunt cruciatibus. Quod non fieret, nisi revera lamia-

rum spiritus rebus fascinatis adhærerent, uti præclarè in Collegio suo Physico notavit *Excell. Dn. D. Vesti*, Patronus, Præceptor & studiorum meorum Promotor æternum devenerandus.

§. 13. Dixi superius §. *1. hujus capitis* omnes fermè Magos *astrorum influxum* statuisse. Inquirendum igitur fuisset, num firmò ille stet talò, quem multi Neotericorum negare, variisque destruere rationibus sunt conati. *Vid. D. Carolus de la Font in Tr. de Peste Diss. I. Cap. VI. & Casp. Schottus in cursu suo Mathematico aliique.* Verum quoniam brevitati studendum, aliorum argumentis refutandis non inhærebo, meam saltem mentem paucis explicaturus. Primum nemo negabit, Lunam virtute suâ in corpora sibi subjecta manifestè agere, cum vel rusticis id notum sit, qui, si semina radicum v. g. raparum, siserum &c. crescente luna in terram abscondant, loco radicum nil ferme nisi herbas ejusdem speciei accipiunt; quod si vero decrescente luna herbas seminent, radices quidem augmentum capiunt, herbarum autem vis vegetativa imminuitur. Et observarunt Medici ac Chirurgi, referente *Waldschmidio*, non solum vulnera capitis in plenilunio ob cerebri turgescentiam majori cum periculo conjuncta esse, quam in novilunio, ubi cerebrum magis subsidet: Sed & omnia purgantia feliciorem effectum sortiri decrescente luna. Quis præterea de solis influxu in corpora inferiora litem movebit? Nullam ergo video rationem, quare non & reliquis planetis ac stellis fixis, si non parem, aliquam saltem vim in sublunaria attribuere velimus. Neque obstat distantia illa ac immensum spatium, quod est inter orbem nostrum ac siderum vortices: in fluidis enim corporibus accedente præsertim convenientia situs, effectus indistans

impediri nunquam possunt. Multo minus opponendus momentaneus aspectus, nempe revolutio, oppositio &c. cessante enim causâ, non statim eô momentô & effectus cessare debet. Aspectus quidem momentanei, instantium autem signa, præteritorumque vestigia perplures dies in sangvine manifesta reperiuntur, præcipue circa æquinoctia & eclipses, quæ verò ideo non omnibus nocent, quia non omnium sidera natalitia æquali aspectu tangunt. Hinc *Waldschmidius in Astrologo suo Medico: si*, inquit, *sideris alicujus hoc tempore influentis magna sit cognatio cum natalitio agri, ipsa curatio erit difficilior, quod non advertentes Medici, nihil fere habent, quo curationis difficultatem variasque recidivas sæpius excusare possunt, experto crede Roberto.* Huc spectant morbi astrales, quorum quidem mentionem facit B. Joh. Arndius *lib. II. cap. ult. Veri Christianismi*, curationem vero tradunt *Paracelsus* & *Haipius in Trifolio Medico lib. I.*

§. 14. Dicendum nunc fuisset, in quonam astrorum influentia in sublunaria consistat, cum fatente ipso *Casp. Schotto*, cœlestium virtutum effectus à solo lumine & calore dependere nequeant: verum cum res majoris sit momenti, quam ut duobus vel tribus verbis proponi possit, silentiô illam præteriens hoc saltem notari velim, omnia corpora sublunaria omnesque homines astrorum influxui ac dominio subesse, exceptis verá vivâque fide præditis Christianis, in quibus Spiritus S. virtus vim astrorum infringit & suffocat, ut non amplius Saturni, Martis, Veneris &c. sed solius Dei Filij vocari mereantur, sicut id egregiè ex sacris literis demonstravit *B. Arndius* loco citato. Cæterum Mago, qui astrologiam ad suam disciplinam ritè applicare cupit, novæ observationes astrologicæ opus sunt,

cum

cum veterum Ephemerides ob stellarum translationem sæpissimè fallant. Observarunt enim Mathematici post annum 1770. nullam stellam amplius in Ariete futuram sed omnes in Tauro: Tauri plurimas in Geminis, Geminorum ferè omnes in Cancro &c. ut ita non mirum, si effectus veterum observationibus non respondeant. Quam maximè igitur necessarium videtur, novam astrologiam ab experientia petitam cudere, quamvis illa optanda magis sit, quam speranda. Astrologia hæcce quomodo ad Medicinam sit applicanda, docet *Abdias Trew in Astrologia sua Medica.*

§. 15. Antea quidem asserui, *actionem dirigentem* plerumque *naturalem* esse, *animalem* tamen ideo prorsus negare nolui, quia nonnulli Philosophi ad magicas quasdam operationes *intentionem* requirunt, quæ spiritus extra corpus suum oberrantes determinare, & ad certum quoddam objectum amandare debeat. Hinc *Marcus Marci in Philosophia Veterum restituta* existimat, sine bona vel mala intentione effectum utilem aut noxium nonnullis in rebus nullatenus responsurum. Et *F. Rogerius Bacbon Anglus Tr. de Mirabili Potestate Naturæ & Artis. Leprosus*, inquit, *citius & fortius alteri nocet, si ex desiderio vehementi cogitatione & sollicitudine intendat alium inficere. Natura enim* [ut Avicenna docet lib. de anima, & 8. de animalibus] *obedit cogitationibus & vehementibus animæ desideriis. Nam cogitatio primum movens, deinde desiderium conformatum cogitationi, postea virtus animæ in membris, quæ obediunt cogitationi.* Sententiam hanc pluribus rationibus & exemplis probatam illustratamque invenies in *Alberti Magni Tract. de Mirabilibus Mundi*, statim sub initium. Meum judicium interim suspendo, titubante adhuc animo

animò in hac re, contentus, si nihil prætermiserim, quod ad operationes Magicas conferre videbatur.

§. 16. Cæterum ingenuè fateor, per multas esse operationes ad naturalem hanc Magiam referendas, quarum sanè nulla manifesta causa reddi potest, quin ad specificas corporum naturalium virtutes respiciendum; verum has bene cognoscere, hoc opus, hic labor. Unicum adhuc restat adminiculum, vera scilicet rerum signatura perpaucis hodie nota. Hanc qui probè callet, primum sapientiæ Salomoneæ gradum assecutus videtur. Clausus hic Naturæ liber non nisi assiduarum precum indefessique studii clave aperiri potest, apertus autem veras medicaminum facultates ac certissimam curandi methodum tradet, digitôque monstrabit. Ast submissô hic animô opus, qui ignorantiam suam ingenuè fassus, DEUM calidissimis invocet precibus, ut summæ ac solidissimæ suæ sapientiæ rivulos in se maximâ mentis caligine circumfusum clementissimè derivare dignetur. Equidem non inficior, me horum mysteriorum admodum rudem adhuc esse: Verum clementiâ Divinâ fretus, planè mihi persvasum habeo, si profundissimæ hujus sapientiæ cupidi frequentia sua suspiria mecum ad DEUM mittant, nos summi Numinis auxilium hâc quoque in re abundè esse persensuros. Conscripsit quidem Tractatum *Oswaldus Crollius de Signatura*, Basilicæ ejus chymicæ annexum, & *Thurneusserus* volumen quoddam figuris ornatum edidit; sed circa corticem plerumque versantur, nucleum parum tangentes. Optandum foret, ut *Maxwelli* opusculum de *Herbis Sagacibus* & *Notæ ad Crollii Tr. de Signaturis* lucem aspexissent. Unicus interim *Teutonicus* sic dictus *Philosophus* solida hujus mysterii fundamenta docuit *Tr. de Signatura Rerum*, libellô intellectu

quidem

quidem difficillimô, lectione tamen dignissimô, quem, qui capere potest, capiat.

CAPUT III.

De

DE PRÆCIPUIS MAGIÆ NATURALIS MEDIIS.

§. 1.

OStensis breviter *principiis*, ex quibus plurimi naturalis Magiæ effectus deduci possunt, *media* nunc examinanda veniunt, per quæ Magi plerumque agere, ac morbis mederi solent. Referri quidem hûc possunt omnium corporum naturalium occultiores facultates atque virtutes, quibus Philosophi stupenda miracula edidere: Verum quoniam ad usum Medicum tantummodo respicio, in quatuor ista adminicula, quorum ope Magi morbos profligare, sanitatemque restituere allaborarunt, inprimis inquiram, *verba* scilicet, *characteres*, *transplantationem & nudam applicationem*.

§. 2. *Verbis* vel *ore prolatis*, vel *scripto comprehensis* num tanta vis atque efficacia insit, ut morbos cujusvis fermè generis depellere, ac ægrotum naturali viâ restituere sanitati possint, demonstratu admodum difficile est. Equidem si magnorum Virorum autoritates sufficerent, quæstio extra omnem controversiæ aleam posita foret. Certis enim verbis, certam vim inesse, multosque morbos illis cessisse, asserunt *Origenes* contra Celsum, *Plato*, *Plinius*, *Paracelsus*, *Helmontius*, *Sennertus*, *Delrio*, *Angerius Ferrerius*, *Fernelius* &c. Nec desunt exempla, quæ morbos verbis ritè applicatis sublatos testantur. *Petrus Borellus Observ. Physico-Med. Cent. 1. Obs. 19.* refert, caput pauperis vermibus plenum à rustico quodam, multis frustra tentatis remediis, sanatum esse per verba quædam ad decerpta folia

D ebuli

ebuli pronunciata: & *Obs. 94.* Prætoris Castrensis mentionem facit, incurabili ferme hæmorrhagiâ laborantis, qui simulac carmen verbaque incognita & ab amico in uva oblata, inscius deglutivit, à malo est liberatus. *Cent. III. Obs. 62. vidi*, inquit, *amici cujusdam mei filium tabe maximâ detentum, cui nulla profuerunt remedia, tandem vero à quodam solis verbis curatum, nescio an verbis illis vim assignare debeam, an verò fidei & imaginationi eorum.* Plura invenies apud *Fernelium lib. de Abdit. rerum caus.* & *Marcellum lib. Secretorum.* Id saltem miror, nullum citatorum autorum ullam virtutum verbalium physicam causam adhuc dare potuisse, siquidem omnes ad experimentorum certitudinem viresque sibi ignotas provocarunt.

§. 3. *Vallesius*, *Borellus* & alij nullis moti autoritatibus, quia rei veritatem experientiâ abundè comprobatam viderunt, semper implicitum pactum cum Dæmone supposuere, firmamque tam medentis, quam ægrotantis imaginationem. Sed quorsum referent illi historiam narratam à *Joh. Agricolæ Chirug. Parv. Tr. II. p. 173.* Offendit hic in Austria artificem, à quo quamlibet hæmorrhagiam per sex hasce literas O I P U L U sistere didicit, rem autem tentare noluit ob metum iræ Divinæ, donec Naumburgi Præfecto equitum mortisque candidato, omnibus adstringentibus ἰσχαίμοις incassum adhibitis, magicum hoc remedium consensu alterius cujusdam Medici sine ullà superstitione applicaverit, & statim hæmorrhagiam curaverit. Hic quia neque in Medico ob pietatem, neque in patiente ob ignorantiam ulla observari potest falsa imaginatio aut superstitio, unde tam subitaneus effectus? Quod si igitur & Medicus & patiens soli fidentes DEO, à pacto quoque implicito cum cacodæmone immunes, adhibitis ejusmodi

magicis

magicis remediis, salutem optatumque finem sæpius consequerentur, nullas sanè viderem rationes, cur effectus immediatè Satanæ adscribi debeat. Sequor interim *Helmontium*, qui *Tr. in Verbis, Herbis & lapidibus magna virtus &c.* dicit, se virtutem verborum plus admirari, quam applicare.

§. 4. Idem ferme & de *characteribus* statuendum judico, quibus certæ materiæ impressis omnis generis morbos sanari posse, Veterum nonnulli sibi persvaserunt. Magna hinc atque prolixa volumina de characteribus conscripsêre, quæ in compendio invenies in *Paracelsi libris Archidox. H. Corn. Agrippa Occultâ Philosophiâ & Cæsaris Longini Tr. de Secretis Magicis.* Et tantam quidem vim atque virtutem antiqui Philosophi hisce rebus attribuerunt, quantam vix ulli alij corpori naturali. Verum rectè mihi sentire videtur *Marsilius Ficinus*, qui *lib. III. de Vita cœlitus comparanda* existimat, si quæ efficacia characteribus insit, illam non tam figuræ quam materiæ adscribendam esse, plurimum autem à fide & imaginatione hominum dependere. Ne itaque & offendiculum præbeam, & aliis ad superstitionem ullam occasionem monstrem, in magica magicorum morborum curatione à verbis & characteribus prorsus abstinui, quanquam *F. Rogerius Bacon Tr. de Mirabili Potestate Nat. & Art. Voluminis II. artis auriferæ insertus p. 328. Utiliter*, inquit, *Medicus characteres adhibere potest, non ob propriam efficaciam, sed ut devotiùs & avidiùs recipiatur medicina & excitetur patientis animus, & confidat ulteriùs. Anima enim excitata multa in corpore efficere potest.*

§. 5. Tertium curationum magicarum medium *transplantatio*, ars est, per quam Naturæ peritus morbum mediis licitis ex homine aliorsum transfert, ut sanitas

 inde

inde sequatur. Fit transplantatio juxta *Maxvellum* sex modis (α) *inseminatione* (β) *implantatione*, (γ) *impositione*, (δ) *irrotatione*, (ε) *insecatione*, & (ζ) *adproximatione*. Ad omnes fermè hasce species *magnes* sive medium connexionis requiritur, *mumiâ* i. e. spiritu vitali patientis impraegnatus, qui à variis variè arte paratur ex sangvine, fecibus alvinis &c. Illius defectum sudor exceptus, urina, feces alvinæ, sangvis, capilli, præsegmina ungvium sine ulteriori præparatione artificiali supplere possunt, si ritè tractentur subsequentibus sex modis. Semper enim aliquid de spiritu vitali simul excernitur, & iisdem inest participatio vitalis extra concretum naturale, unde prout hic alteratur diversimodè, varia subsequitur alteratio in corpore. *Inseminatio* fit, quando magnes spiritu vitali seu mumiâ impraegnatus miscetur cum terra pingvi in fictili, in illam semina herbarum specificarum & intentioni aptarum conjiciuntur, terra membri morbidi loturâ irrigatur, & propullulans planta in similem transfertur. *Implantatio* eâdem fermè ratione perficitur, modo loco seminis herba cum radice vel radix sola sumatur, ac in ejusmodi terram magneticam transplantetur. Si autem planta vel radix ante marcescat, quàm morbus planè curatus fuerit, cura hæc repetenda. Ad curationem *impositione* obtinendam, magnetem arbori, plantæ aut radici s. a. includas, & longævis quidem arboribus, si durantem effectum desideras; sin vero velocem, citò crescentibus utaris, ex quibus voto completo magnes iterum eximendus. Ut *irrotatio*, quæ per se sine aliorum modorum conjunctione valdè dubia, ritè absolvatur, excrementis herba vel arbor specifica irriganda, & aliâ terrâ obtegenda est. Communissima & tutissima via in *insecatione* quærenda, quæ fit,

quando

quando magnes mumia impraegnatus animali devorandus propinatur. Brutum id morbo prorsus infectum necari, & cum alio eadem ratione procedi debet, dum curatio sit absoluta. Ultima transplantationis species, *adproximatio* dicta, fit, quando vel plantae vel animalium partes corpori morbido applicantur, ut morbum quasi attrahant, & salubrem suam virtutem morbidae parti communicent. Exempla in sequenti capite rem illustrabunt.

§. 6. *Nudae applicationis* modi duo dantur, *impositio* & *applicatio* strictè sic dicta. *Impositio* fit, quando medicamentum qualitate aut signatura conveniens intentioni, cum magnete miscetur, aut in illum imponitur, ut in pulveris sympathetici usu hoc observatur, vel quando excrementa magnetica in pharmacum quoddam immittuntur, v. g. in Ungventum armarium, aquam sympatheticam &c. Applicatio strictè sumta dicitur, quando parti corporis dolenti externè remedia specificâ virtute gaudentia, quae ex omnibus tribus regnis peti possunt, appenduntur & applicantur. Remedia haecce partim lege artis parata, partim vero per se sine ulteriori praeparatione adhibentur. Pertinet huc modus abortum praecavendi, infra nominandus & *amuleta* zenexta *Paracelso* dicto, quae olim magni facta, parum hodie aestimantur. Librum sat doctum atque elegantem de iis edidit *B. Wolffius*, inscriptum: *Scrutinium Amuletorum Medicum*. Generaliora praecepta hic quoque tradi debuissent, juxta quae & transplantatio & nuda applicatio fuissent instituendae, nisi brevitati mihi studendum esset. Remitto itaque curiosum Lectorem ad *Helmontium, Maxvellum*, *Fluddium* aliosque Autores, properans ad usum practicum, sine quo Theoria Medica frustranea est atque inutilis.

CAPUT IV.

De
MAGICA MORBORUM CURATIONE.

§. I.

ABsolutis iis, quæ ad aliqualem *naturalis Magiæ cognitionem theoreticam* spectare videbantur, ad *praxin* progredior, in nonnullis corporis humani affectibus monstraturus, quomodo magica morborum curatio institui debeat. Huncce curandi modum aliis certioribus magisque consvetis remediis nullo modo præfero, sed solùm adhibendum puto, omnibus vel frustra tentatis, vel patiente à medicamentis prorsus abhorrente, vel denique urgentibus maximis doloribus, ubi plura unà vice, si fieri potest, oportet tentare. Nec ad propriam experientiam provocare possum, sed Virorum in arte Medica excellentium relationibus nitor, qui plurimum in hac re sunt experti, ea prætermittens, quæ cum præceptis artis non conveniunt. Interim tamen curationes magicas non statim rejectas velim, si effectus prima vice voto non respondeat, facile enim in modo operandi errare potest Medicus, ille præsertim, qui Magiæ fundamenta non probè callet.

§. 2. *Omnes totius corporis humani affectus* facilè sanari posse creduntur, si sangvis patientis crudus & calidus adhuc testæ ovi includatur, gallinæ fovendus ad putrefactionem usque supponatur, post cum pane aut carne mistus bruto devorandus tradatur. Laudant alii sal volatile ex ægroti urina paratum & cani cum cibo propinatum. *vid.* die Schatz-Kammer der Natur *p. m. 59.* Contra *febres intermittentes tam tertianas, quam quartanas, Bartholinus* parat pultem ex urinà ægroti & farina similaginea, quam arbori illinit, ut avibus in prædam cedat. In inferiori Sa-

xonia

xonia contra eosdem morbos patiens siliginem durante paroxysmo in manu tenet, ut sudore madeat, postea serit & hoc modo sanitati restituitur. Nonnulli scarabæum vivum linteo flavo insutum de collo ceu amuletum suspendunt, aut ungves pedum ac digitorum abscissos cancro vivo alligant, quem iterum in aquam conjiciunt. *Vid. Goclenij Mirac. Natur.* Hic loci quidam pro secreto habent Vitriolum Cyprinum, cujus dr. ij. vel iij. in forma amuleti utuntur. *Conrad. Kuhnrad in Medulla destillatoria p. 376.* commendat ovum in ægri urina coctum, excorticatum & in formicarum acervum absconditum. Dictæ febres quod hoc modo feliciter curentur, ideo fieri puto, quia per multi paroxysmi curam præcedentes materiam febrilem plerumque jam dissiparunt, alioqui enim, quod de Chinæ præpostero usu timemus, & hic omnino metuendum foret.

§. 5. Ad *capitis affectus* progredior, ubi se primum offert *dolor*, qui curatur, si prægressâ purgatione magnes quidam emunctoriis capitis & conjunctioni suturæ coronalis & sagittalis applicatur, sudor vel appropriato diaphoretico vel motu fortiore elicitur, ut magnes sudore bene impregnatus, secundum præcepta artis tractari possit, vel per implantationem in terra pingvi cum Verbena, Salvia, Pœonia, & in affectibus calidis papavere, vel per impositionem in juglande. Plura de hoc affectu vide *in Maxvelli Tr. de Curatione Magnetica Lib. III. cap. unic.* Ad *Maniacos* compescendos stercus humanum sub terra sepultum, donec in pulverem redeat, capiti & aliis ægri imponunt; Ast hoc non magni faciendum censet *B. Rolfincius in Epit. Method. Cogn. & Curand. Morb. p. 80.* Korellæ, sole leonem intrante, sudôque cœlô collecta ac collo appensa plura in hoc casu præstare creditur. Quomodo *Epilepsia* per amuletum

tum ex Sambuco desumptum curari possit, docet *Mangetus in notis ad Praxin Barbett. p. m. 15. 16.* ubi & judicium suum fert de carbonibus sub artemisiâ effossis. *Graviores narium hæmorrhagiæ* ut citò sistantur, adamas sub lingvâ detineri, pulvis sympatheticus sangvini immisceri, aut sangvis è naribus in ferrum candens demitti potest. *Dentium dolor* admodum sensibilis, & interdum ferme intolerabilis esse solet, permulta ideò quæsita sunt remedia ad illum sedandum. *Paracelsus* Persicariam recentem in aqua maceratam dolenti loco applicat, donec incalescat, postea in fimum sepelit, ut putrescat. *Helmontius* laudat officulum brachii bufonis, *Heurnius* os dextri femoris, quò si gingiva partis dolentis benè fricetur, dolor cessat. Transplantatur quoque dolor in salicem, sambucum, corylum &c. hôc modô: separato non nihil cortice exscinde festucam, hac gingivas & dentem dolentem punge, dum sangvinem fundant, postea festucam cruentatam in suum locum repone, & corticem reductum luto benè muni. Confer *Daniel Beckeri Microcosm. Med. lib. I. c. 14. p. 75. seqq.* Convenit hic modus in recidivantibus & habitualibus odontalgiis. *Illust. Dygbi* jubet clavo gingivas attollere, ut sangvine conspurcetur, eumque arbori infigere usque ad capitellum. Nonnulli quidem frictionem dente defuncti præcipiunt, verùm dentium casus, *teste Helmontio*, subsequitur. *Rhases apud Ferrerium de Art. Med. inf. p. 183.* asserit à proprietate dentium dolores leniri, & mortui dente è collo infantis suspenso, res admiratione dignas apparere. *Höfferus* verò *in Hercul. Med. p. 68. Ego*, inquit, *ut sunt Arabes & Ægyptij superstitione pleni, superstitiosum credo esse remedium, nisi subsit* singularis quædam antipathia soli experientiæ cognita. *Strumas aliasque corporis*

ex-

excrescentias per solum manûs mortuæ attactum sanatas observarunt Viri fide dignissimi. *vid. Magnif. Wedelij Physiol. Med. Sect. III. c. 27. ut & Ephemer. German. ann. I. Dec. 11. observ. 11. & ann. II. Dec. 1. obs. 140. p. 399.* Laudant quoque ad eundem affectum funem, quo fur aut alius fuit suspensus, monilis locô gestatum.

§. 4. *Medii ventris affectum primarium phthisin* sequenti modô curari posse nonnulli sunt persvasi: ℞. Siliquarum [Johannis **Brodt**] q. v. infunde per 24. horas in s. q. vini generosi. Postero die, missâ prius urinâ, bibe infusum, novem dies continuando & ab alio potu prorsus abstinendo, collige interim omnem urinam excretam, hanc in fumum suspende, ut pedetentim consumatur, & phthisis sensim curabitur. *Hæmoptysi* phthisin interdum comitanti medetur Medicus, si sputo cruento pulverem sympatheticum immisceat. Ad *abundantiam lactis in mammis* minuendam nonnulli svadent, ut mulier lac in prunas aut ferrum candens emulgeat, hoc enim modo mammas steriles futuras putant. Hinc *Borellus in Append. ad Obs. Medic. Cent. III.* lege Divinâ cautum judicat, ne caro hœduli matris à lacte coquatur.

§. 5. *Ictericus*, si urinam suam super stercus equinum excernit, curari dicitur; sin verò ex ejusdem urina additô lacte & pane similagineo jusculum paratum cani propinetur, prognosticon signum exinde peti potest, moriente enim cane, & æger mortem non effugiet. *Sodam* solius Carolinæ intuitu curatam refert *Wedel. in Amœn. Mat. Med.* Ut *dolor colicus* non solùm mitigetur, sed & prorsus auferatur, excrementa tempore paroxysmi reddita sepeliuntur in loco à viatorum frequentia remoto, gramen quod super terra, cui stercora fuere commissa, crescit, bovi vel

agno pabuli locô offertur, quod ubi comederit, colica transplantabitur ab homine in brutum, & nunquam illum iterum affliget. *Vid. B. Rolfinc. cit. libr. p. 267.* Caput mortuum ⊕li fæcibus alvinis immixtum *dysenteriam* sedat. Idem quoque efficit Persicaria cum vino decies chalybeato in mortario contusa, ad cataplasmatis consistentiam cocta, lumbis circa renes applicata & infimo equino sepulta. *Borellus* in eodem affectu Argenteæ folia plantis pedum 24. horas applicare jubet *Cent. I. Obs. 13.* *Atrophia* sive *tabes* curatur teste *Hartmanno*, si in ollula nova in urinâ ægri ovum ad duritiem usque coquatur, induratum lignô acutô hinc inde perforetur, ut foraminula ad vitellum pertingant, perforatum cum reliqua urina iterum coquatur ad hujus consumptionem & denique ovum sic paratum in acervo formicarum sepeliatur. Alii sangvinem patientis ovo inclusum iisdem animalculis propinant. Curatio *arthritidis* per radicem Bryoniæ (die Gicht-Rübe) est notissima, in modo operandi solùm nostrates non nihil differunt, qui sufficere putant, si patiens certâ noctis horâ dictam radicem in alium magisque occultum locum transferat, cum alioqui Medici svadeant bryoniam priùs excavare, & sangvine per cucurbitulas extracto implere, quàm transplantatio instituatur. Sunt, qui à sangvine certâ plenilunii horâ per cucurbitulas misso, & formicis ad consumendum tradito certiorem salutem sperant. *Podagra*, quæ arthritidis species est, mediante sangvine & urinâ in arbores, salicem inprimis transfertur. Modum vide apud *B. Timæum à* Güldenklee/ *Epist. Medic. Lib. V. Epist. 8. cum præced. p. 812. seqq.* ubi & alius curandi modus proponitur. Quid *Trallianus* contra hunc affectum ex hyoscyamo commendet, legi potest in *lib. supr. alleg. B. Rolfincii p. 390.*

§. 6.

§. 6. In partu difficili laudatur in primis lapis ætites, de quo *Birckerus in Hermete Redivivo Cap. 16. p. 103. in promptu habeat*, inquit, *obstetrix lapidem ætitem verum, quem parturientis coxis admovebit, nam si brachio fortè esset alligatus, nec removeretur, partum prohiberet, retinendo fœtum, post partum verò à coxa removendus, aliàs & uterum cum secundinis ejiceret.* Conducere quoque creduntur caruncula lachrymalis ex dextro corvi oculo, liquor grumosus in canthis oculorum cervi, cor gallinæ nigræ, urina mariti, stercus accipitris, testes equi &c. Si fœmina statim à primo partu frustulum secundinæ, magnitudinis avellanæ, in vino dissolutum sumserit, libera futura dicitur in omnibus sequentibus partibus, *à colico & ventris dolore.* Ad *abortum* præcavendum coque pellem leporinam in lacte dulci, & in inversò modò abdomini applica, ut pili cutem tangant, & cauda superiorem, caput verò inferiorem regionem petat. Ad *nimium mensium fluxum* sistendum linteum sangvine menstruô irrigatum in ignem conjicias. *Incontinentiam urinæ puerperarum* curat bufo vivus calcinatus & appensus, ut regioni stomachi immineat. *Vid. Heinr. ab Heer Obs. Medic. Obs. 14. & Boyle Philosophiam Experiment. p. m. 116.* Ad *amorem* conciliandum varia commendantur. *Helmontius Tr. de Magnet. Vuln. Curat. §. 27. Novi*, inquit, *herbam passim obviam, quæ, si teratur, donec intepuerit, mox alterius manum detinueris, quoad & ille tepescat, amore tui, ille totus continuo ardet ad aliquot dies. Detinui pedem cujusdam catuli, hic confestim peregrinum me secutus adeo, ut noctu ante cubiculum ejularet, usque quò eidem aperirem relictâ herâ suâ. Adsunt Bruxellis mihi hujus facti testes.* Hæc ille. *Weberus* autem *in Anchor. sacr. sauciat. p. 28.* putat, quamlibet herbam, quæ spiritum vitalem suscitare potest, hæc esse præstituram. Sangvis siccatus & pulverisatus certum præbere philtrum statuitur.

tur. Verùm optimè mihi sentire videtur *Seneca Epist.* 9. dicens: *Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius venefica carmine; si vis amari, ama:* vel ut Poëta quidam monet: (*ut ameris, amabilis esto.*)

§. 7. Modum *herniæ* per magnetem curandi tradit *B. Rolfincius lib. cit. p.* 376. qui mihi verò ideo displicet, quia observarunt Neoterici, magnetem pulverisatum omnem attrahendi virtutem amittere. Notior & certior est ista per quercum juniorem curatio, quando scilicet per hanc diffissam infans herniâ laborans aliquoties trahitur, & arbor benè iterum colligatur, ut concrescat. Ad tollendas *verrucas* sumatur lardi frustulum cuti adhærentis, illo verrucæ fricentur, ut incalescant, deinde lardum versus meridiem parieti affigatur, aut in fimum abscondatur, quò facilius putrescat. Idem & poma Borsdorffiana dictâ ratione tractata faciunt. *Vulnera* lignum fraxinum attactu sanare, & cortex interior albus atque subtilis illa contrahere dicitur. Parant nonnulli ex dicto ligno baculum sole & lunâ in ariete conjunctis, cujus solò attactu quasvis hæmorrhagias sedari posse gloriantur. Notus est baculus, das Wundholtz dictus, qui fracturas, luxationes & contusiones sanare creditur. Conficitur hôc modô: coryli ramus ab internodio uno ad aliud, digiti minimi crassitiem æquans, idque sole in arietis signum ingressum faciente, unicô ictu secetur, cerâ Hispanicâ utrinque sigilletur, ne vires ac spiritus amittat, & servetur ad usum. *Vid. Borell. Observ. Medic. Cent. III. Obs.* 77. Plura de Magia naturali & magicis curationibus invenies in *Alberti Magni Libellis Amstelod.* 1669. 12. *Schotti Magiâ Natural.* 4. *Joh. Bapt. à Porta* 2. *Volum.* 8. *cum figur. Wilhelm. Hildebrands Mag. Natural.* 4. *Roberd. Fludd à Fluctibus Oxoniensis Operibus, præsertim in Histor. utriusque Cosmi & Philosoph.*

Mosaic.

Mosaic. Gilbert. Philosoph. Magnet. Schatz-Kammer der Natur 1681. 8. *Maxvelli Medicin. Magnetic.* 12. *Helmontii Tract. de Magnet. Vulner. Curat. Rattray Tr. de Sympathia & Antipathia; H. Corn. Agrippa Occulta Philosoph.*

CAPUT V.

De

MAGICORUM MORBORUM CURATIONE.

§. I.

M*Agici morbi* adhuc examinandi restant, quorum in limine dissertationis mentionem feci. *Magicos* voco, quia non ordinariò modò corpora humana invadunt, nec ex meris causis naturalibus solum dependent, sed à lamiis & veneficis inducuntur ex *invidia animòque vindictæ cupidò.* Hinc & *morbi ex fascino* appellantur, *βασκαίνειν* enim *invidere* significat, à quo *fascinatio* & *fascinum* sunt derivata. *Subjectum* constituit *totum corpus humanum* cujuslibet ætatis tam masculinum, quam fœmininum, tutelâ & protectione divinâ destitutum. Hâc enim præsente, fascinatio nullum damnum inferre aut corpori humano nocere potest. Ii præsertim fascino sunt subjecti, quorum habitus corporis est tenerior, spiritus debilior & animus timidus, siquidem timor spiritus torpidos ac tremulos reddit, ut eò citius noxio sagarum spiritui obediant, præcipuè si tenerior habitus effluviis atque impressionibus corporeis facile cedat.

§. 2. *Causæ morborum magicorum* accuratè evolvi, & *proxima, antecedentes atque remota*, uti in aliis morbis, distinctè demonstrari nequeunt, Medicus itaque contentus esse debet, si veram quandam causam invenerit, ex qua morbi naturam ac curandi methodum cognoscere possit. *Tres* præcipuè *generaliores causæ* sunt, per quas

fascina morbique magici induci solent, *effluvia* scilicet *oculorum totiusque corporis*, *res naturales ex tribus Regnis petita & opera diaboli*. *Oculis* fascina induci posse, tristis experientia abunde testatur. Quamvis enim *radii visivi* ex oculis non egrediantur, *effluvia* tamen emanant, quæ quando livore & invidiâ maligna reddita per *intentionem* diriguntur ad certum quoddam objectum, noxiam suam vim ibi exserunt. Dantur & homines, quorum corpora naturâ tantô malignitatis vitiô laborant, ut, licet nullam societatem cum Satana nullamque nocendi intentionem habeant, effluvia tamen eorum adstantibus maximum damnum afferant, uti referunt. *A. Gellius Noct. Attic. c. IV. Plinius Histor. nat. l. VII. c. 2. & Borellus Cent. II. obs. 90. & Cent. III. obs. 67.* Hinc Chirurgi non cuilibet homini vulnera aspicienda exhibent, observarunt enim per maligna oculorum effluvia consolidationem valde fuisse inhibitam. *Vid. Joh. Agricolæ Chirurg. parv.* Verùm de hac fascinatione præter spem & opinionem factâ jam non ago, quia à fascino lamiarum quoad causam & curationem non parum differt. Præterea *naturalibus* quoque *materiis* venefici utuntur ad destruendum microcosmum, quæ ex *animali regno* & inprimis ex homine, quem lædere intendunt, sunt petitæ v. g. *sanguis*, *urina*, *feces alvina*, *sudores*, *capilli*, *saliva & infantum lavacra*, quibus malitiosè tractatis noxam inferunt. Puerorum quoque *cibo ac potui pharmaca* immiscere aut per *oscula* sub specie amoris data, virulenta sua miasmata iis inspirant. Denique permulti morbi magici maximo hominum hosti *Satanæ* sunt adscribendi, qui ut mancipiorum suorum desiderio ex parte satisfaciat, permissu Divino personas lamiis invisas gravissimis morbis affligit. Ne interim Sagæ sine ullo adhibito

studio

studio & labore voti sui compotes fiant, superstitiosum ac ridiculum interdum agendi modum illis præscribit persvadens, hac ratione optatū effectum se esse consecuturas. Hinc *nonnulli venefici* characteres, verba impia & ligaturas usurpant. *Alii* acus, clavos aliaque absurda sub ostiorum liminibus, vel in lectis vestimentisque abscondunt. *Alii* imagines efformant, quas acubus pungunt vel clavis transfodiunt, vel ad ignem liquefaciunt assantque; & ita dolores, ulcera, vulnera, atrophiam, febres aliaque mala inducere student. *Helmontius quidem Tr. Injecta materialia pag. 596. seqq.* concursum diaboli negat, putans effectus hos omnes ab *ente* quodam *ideali* sive à *forti sagarum imaginatione* ortum ducere: verum mihi persvadere nequeo, à sola *imaginatione* tantam vim provenire, quanta ad horrendos ejusmodi affectus in alienum corpus inducendos requiritur. Hæc *in genere* de caussis morborum magicorum dicta sunto, *specialiores* nonnullas affectibus mox examinandis addam.

§. 3. Culpandus hominum mos est, ut si non statim *caussa morbi* in sensus incurrant, nec *curatio* ex voto succedat, ad veneficia recurrant, lamiis omnia imputantes. *Signis* itaque opus est, quæ de *fascino* testentur, & Medico, quid sit agendum, monstrent. Si Medicus *neque internam, neque externam aliquam caussam* morbi invenire, nec ex parte ægrotantis in sex rerum n. n. usu *commissum errorem* observare, nec vel *per generosissima medicamina* morbo mederi possit, non peccabit, si suspiciones de fascino tacitè secum foveat. *Suspicionem* hanc augebit *relatio patientum aut adstantium*, malæ fidei fœminas sibi infensas vindictam minitatas esse, vetulas malis artibus famosas fructus patienti comedendos obtulisse, manum suam aut corpus attigisse,

aut torvò vultu se aspexisse. Nec infidum fascini argumentum est, si forte malefica quàdam cubiculum ægrotantis ingressa, hic *pejus sese habeat*, *tremore & præcordiorum anxietate* corripiatur; illâ recedente, *levamen* persentiat. Notatu sane dignum est, quod refert *Joh. Agricola in Chirurg. parv. p. 571.* verba ejus hæc sunt: Wenn man erkennen soll / daß einer bezaubert sey / muß man also procediren / man soll reine Aschen in ein Töpflein thun / und der Patient soll seinen Harn darauf lassen / das Töpflein zudecken / und also von sich selber an der Sonne eintrocknen lassen / alsdenn soll man die Asche heraus nehmen und von einander brechen / ist der Mensch bezaubert / so werden in der Aschen Haar herfür wachsen / und dieses ist gar ein gewisses Zeichen / daß einer bezaubert / ist es aber eine natürliche Kranckheit / so findet mann im geringsten nichts / wie dieses nun mag zugehen / darff wohl nachdenckens / interim ist es gewiß. Certissimum indicium esse videtur, si *specifica* contra fascinum exhibuerit Medicus, eademque *profutura* senserit.

§. 4. *Morbi magici* omninò sub *medicam curationem* cadunt, quia non solum homo ægrotus semper *objectum medicinæ*, verum etiam, quod diabolus utitur *mediis naturalibus*, quorum ope morbos concitat. *Duo* autem ad curationem requiruntur, *preces & medicamina*. *Preces* vel ipse *Hippocrates* commendat *libr. de Insomn. c. 11. §. 12.* τὸ εὔχεσθαι πρέπον καὶ λίην ἐστὶν ἀγαθόν. *Orare decorum & valde bonum est*. *Precibus devotis* ac fiducia plenis adjungenda *remedia naturalia*, quæ plerumque in aliis morbis ex triplici Medicinæ fonte peti solent. *Chirurgia* nihil fermè hîc suppeditat; venæsectio enim, cucurbitulæ, hirudines, vesicatoria & cauteria nullius hîc usus sunt. Ad *injectorum* extractionem vulnerumque consolidationem infra quædam commendabim⁹. *Pharmacia* plura exhibet *antivenefica*, quæ virtute *specificâ* contra *fascinum* gaudent. Ex *vegetabili* regno

se

se offerunt *Filix*, *Valeriana*, *Antirrhinum*, *Abrotanum*, *Verbena flore purpureo*, *Hypericum*, *Artemisia rubra*, *plantago acuta*, *fl. bellid. albl. Origanum*, *Sem. Pæonia*, *Nigellæ*, *Fœn. Græc. Adiantum*, *Polytrichum*, *Trichomanes*, *Ruta muraria*, *Senecio*, *Conyza*, *Gnaphalium*, *Sideritis*, *Viscum Corylinum*, *Quercinum*, *Althæa arborescens*, *Thus*, *Asa fœtida*, *Camphora* &c. Herbæ omnes ante solis ortum sunt colligendæ. Ex *animali* Regno occurrunt *Secundina primipara pulverisata eorumque* ♎°. *Dens hominis demortui pulverisatus*, *ossa lamiæ combusta*, *usnea cranii humani*, *stercus & urina*. *Minerale* habet *Corallia rubr. & alb. quorum Tinct. cum Ess. hyper. mista valdè laudatur*, *Smaragdum*, *cujus Tinct.* ♎ *u urinæ parata multum præstat*, *Electrum minerale immaturum Paracelsi*, quod nonnulli *Cinnabarim nativam* esse putant.

§. 5. Quoniam ad finem properandum, *trium affectuum* curationem tantummodo tradam, ex quibus facilè cognosci poterit, quomodo reliqui sint tractandi. Primo se offerunt *Injecta*, quæ sunt variæ res e. g. *capilli*, *lintea*, *acus*, *clavi*, *animalcula* à lamiis in varias corporis partes translata, quas horrenda symptomata, ingentes dolores, intensus dolor, lipothymiæ, atrophia sequuntur, præsente nonnunquam simul tumore in parte affecta. Arduam quæstionem, quâ ratione dictæ materiæ in corpus salvâ cute, & patiente id non sentiente injiciantur, resolutam invenies in *Tr. supra alleg. Helmontii.* Ante omnia in curatione respiciendum ad *tumoris apertionem*, quæ nisi sponte fiat, promoveri potest *Balsamo viridi Carrichteri*, qui ita paratur:

℞. *Ping. Caninæ unc. ij. Urs. unc. iv. Capon. unc. vj. Visc. Coryl. mij. Viscum contundatur, ut liquor prodeat, deinde cum pin-*

 guedi-

gredientibus in vase vitreo misceatur, & duos menses in digestione relinquatur, postea servetur ad usum.

Tumore aperto & exemtis injectis *Agricola stercus humanum* applicat, quod postea in fumum in vesica suspendit, denique sequens vulnerari imponit *Emplastrum:*

℞. Rad. Filic. unc. ij. HB. Adiant. aur. Antirrhin. ana. mij. Verben. mj. bacc. junip. mij. conc. & cont. coqu. in s. q. ▽ Adiant. aur. colat. fort. expr. add. Sangvin. Catuli unc. ij. Corall. rubr. præp. unc. j. Ceræ ℔. ß. Gumm. Visc. Coryl. unc. j. Terebinth. unc. ij. M. f. l. a. Emplastrum.

Conducit quoque *Emplastrum fœtidum Mynsichti. Injecta*, quæ ex loco aperto sunt exemta, Theologi comburere jubent, verùm quoniam hoc modo recidiva metuenda, consultius factum putat *Helmontius loc. cit.* si injecta in *herbis vi expulsiva* gaudentibus serventur.

§. 6. *Contractura ex fascino* omnium fermè miserrimus morbus est, membra enim ibi ita contrahuntur, ut genua nonnunquam mentum propè attingant, cum calore intensissimo & atrophia totius corporis. Sagæ hunc morbum variô modô producunt, *aliæ* per imagines ex cera fictas id efficiunt, *aliæ* per res ex corpore patientis desumtas maleque tractatas, *aliæ* per venena cum specifica intentione in vias effusa aut sub limine ostii abscondita. Hinc Germani dicunt: Sie sind über etwas böses oder über einen Guß gangen. In hoc casu conveniunt balnea ex supra laudatis herbis specificis parata, & ad calorem mitigandum sequens medicamentum:

℞. Rad. Filic. q. v. coque in lixiv. quercin. & ▽ Adiant. aur. ana q. s. decocto adde sangvinis ex sinistra aure catuli gr. iij. l. jv.

Contra *tabem Hartmannus in Prax. Chym.* commendat aquam frigidam, quæ inter potandum ex ore equorum generosorum iterum effluere solet. Adhibenda quoque sunt

suffi-

suffimigia ex Thure, Camphora, Asa fœt. dente mortui pulverisf. Sem nigell. Fœn. Græc. & herbis supra commendatis.

§. 7. Communis quoque est malitia sagarum, in *ligan-da virorum potentia*, qui hac ratione impedîti debitum suum conjugiale solvere & conjugi satisfacere nequeunt. Statuit quidem *Borellus Cent. IV. Obs. 65.* genitalia Virorum per fascinationem ligari non posse, sed vitium dependere à reverentia quadam, nimio gaudio, vel è contra ab odio vel à nimio ardore aut imaginatione læsa. Ast multiplex experientia aliud evincit, multi enim vires suas amisêre, qui neutrum ante dictorum passi sunt. *Ligatura* hæc perficitur per *clausam seram, rubrarum ligularum connexionem, clavos* & *palum quercinum* aliasque res, de quibus silere consultum omnino duco. Incurabilis interdum hic affectus est, si res magica putrefactione consumta sit aut amissa, ut *ligatura* iterum solvi nequeat. Modum hic proponere possem, quomodo Magus cogatur, ut ligaturam iterum solvat: Ast quoniam Theologi adhuc disputant de hac re, num licita sit? tacere lubet. A *remediis* interim *ex naturali Magia* petitis in hoc affectu certior salus speranda. Ovum in patientis urina coctum & à formicis consumptum, ut & urina in foramen pali extracti missa, cui palus iterum perverso modo infigendus multum præstitisse, historiæ Medicæ referunt. Nonnulli in Lucii vel alterius cujusdam piscis os apertum urinam excernunt, post illum vivum dimittunt, & in aquam iterum conjiciunt, & hoc quidem remedium cuidam Nobili Viro potentiam suam veneream restituisse, observavit *Generos. & Magnif. Dn. ab* Hartenfelß/ *Patronus meus maximus.* Plura apud infra nominandos autores invenies. Multi alii adhuc dantur morbi magici, quos jam recensere & accuratius examinare ob varia impedimenta nec licet, nec libet, quia

omnes

omnes fermè non solum causam aliquam communem agnoscunt, sed & eàdem methodô, qua antea dicti, curantur. Hoc saltem adhuc notari velim, *animum imperterritum spiritusque robustos & alacres* in præservatione & curatione permultum conferre, suppositâ tamen semper gratiâ & tutelâ Divinâ. Nec inconsultum foret *patientis lectum, hypocaustum & domum mutare*, illumque aliorsum transferre. De *Morbis magicis eorumque curatione* prolixè egerunt *Carrichterus* in Gründlicher Heylung der Zauberischen Schäden 8. *Joh. Agricola in Chirurgia parva Noriberg. 1674. 8. Helmontius Tr. Recepta Injecta. it. Tr. de Injectis materialibus, Codronchius Tr. de Morbis venefic. Paracelsus in Operibus passim, Frommannus Tr. de Fascino.*

EPILOGUS.

PAuca hæcce tecum C. L. de magia naturali communicare volui, æqvum tuum hâc de re expectans judicium. Ardua sanè materia est, ideòque à multis rejecta, imo ad Garamantes relegata. Mitiorem igitur in partem interpretaberis, si & ego sæpius forsitan in hac Dissertatione hallucinatus fuerim, manca enim & mutila est summa hominum sapientia. De omni superstitione sanctè protestor, hinc si quid sacro codici & Divinis præceptis contrarium videatur, palinodiâ hâc id revoco atque recanto. Cæterum maximis, quibus possum, effero laudibus celebroque immensam misericordiam DEI mei, qui non solum studiis meis hactenus ex alto benedixit, verum etiam mihi in elaborando hoc Inaugurali Specimine clementissimè adstitit, submississimâ mente eum venerans, ut mihi & tibi solidam sapientiam firmamque tam spiritualium quam Physicarum rerum veritatem magis magisque monstrare atque largiri clementer dignetur.

F I N I S.